



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XI. De decimis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

abusus , quod si parochianus vnius ecclesiæ die resurrectionis , seu alio solenni in alia parochia sacram communionem accipiat , vel quia alterius ecclesiæ parochianum velle se esse afferat , extunc , quoad decimas reales & personales & alia iura parochialia , parochianus illius in qua communicauerit , vel parochianum se velle esse dixerit , censeatur : volentes abusus prædictos iuris remedii extirpare , statuimus ut in ciuitatibus , castris , municipiis , in quibus parochiæ limitatæ non sunt ; per episcopos vel alios prudentes viros , quibus hoc episcopi commiserint , infra annum a die publicationis constitutionis huiusmodi per certos terminos limitentur . Postquam vero sic parochiæ fuerint limitatæ , nec parochianis de vna parochia modis præmissis ad aliam se mutare , nec alteri parochiali rectori ipsos sic recipere licet : alioquin & sic se transferens & recipiens in sententiam excommunicationis incurvant , & nihilo minus prima ecclesia decimis & aliis obuentionibus sibi debitis non priuetur . Si vero inter diuisas dioeceses fuerit limitatio huiusmodi facienda , quilibet prælatorum aliquas certas personas assignet , per quas parochiæ quæ confusæ esse non debent rationabiliter limitentur . Quod si personæ istæ conuenire non potuerint , tertius prælatus vicinior ad limitationem faciendam communiter inuocetur , per quem vna cum prædictis termini parochiarum & fines dioecesum limitentur .

XI.

Vt fraudes , quas diuersis modis religiosi in dandis decimis animalium & noualium adhibent , a

ANNO
CHRISTI
1522. prælatis & ecclesiarum rectoribus cautius euitentur , statuimus vt postquam religiosi per dicecessanos requisiti fuerint super fraudibus huiusmodi nullatenus adhibendis , religiosi ipsi qui huiusmodi fraudes commiserint , in Synodis episcopalibus , & in maioribus locis ipsarum dicecesum excommunicati publice nuntientur , & nihilo minus prælati constitutionem super hoc editam cum diligentia exequantur.

XII.

Monasteriorum damna quæ per alienationes ab ipsorum abbatibus & conuentibus , prioribus aliis administratoribus quibuscumque indebite fiunt , refrenare volentes , statuimus vt prælati in Synodis suis pœnas in constitutione felicis recordationis domini Clementis papæ V. contentas denuntiare , & eas in subditis suis exequi non omittant . In exemptis vero si alienationes huiusmodi fecerint , hoc superiori ipsorum locorum ordinarii denuntient , vt per eos reuocentur alienationes huiusmodi , & puniantur talia facientes .

Regularis obseruantia a sanctis patribus instituta commode obseruari non potest , nisi circa eiusdem custodiam inter professores ordinum congregatos ad istud frequens discussio & tractatus diligens habeatur . Quia vero per negligentiam abbatum & priorum signanter ordinis sancti Augustini , qui canonici regulares vocantur , ac sancti Benedicti , videlicet monachorum nigrorum , pro ut accipimus , præfatæ constitutionis obseruantia tota liter est omissa : in virtute sanctæ obedientiæ præ-